

gem epistola Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis his verbis, *Regnum vestrum purgatum est spurcicia Britonum, castrum Norwich redditum est, & Britones qui in eo erant, & terras in Anglica terra habebant, concessa eis vita cum membris, jura verunt quod infra quadraginta dies de regno vestro exirent, & amplius sine vestra licentia in illud non intrarent.* Iam inde ex hoc calamitatum diluvio se paulatim recolligere cœpit, & Herbertus Episcopus, cujus fama ob Simoniacas fordes ad metas hæserat, Episcopale sedem *Thefordia* huc transtulit, Ecclesiamque Cathedralem ad Orientalem, & inferiorem urbis partem, quam speciosam exædificavit, in loco prius *Cowholme* dicto, (juxta castrum) cujus primum lapidem ipse regnante *Guilielmo Ruffo*, Anno à Christo nato *MXCVI* cum hac inscriptione posuit,

DOMINVS HERBERTVS POSVIT
PRIMUM LAPIDEM IN NOMINE
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS
SANCTI. AMEN.

Postea à Paschali Papa procuravit *matricem Ecclesiam Norfolciæ & Suffolciæ stabiliri & confirmari*, prædiis munifice locupletavit quæ sexaginta Monachis alendis sufficerent, qui sua habuerunt claustra elegantissima. Verum illis exturbatis *Decanus*, sex Præbendarii, aliique substituti. Ecclesia sic constructa & Episcopali sede posita, *Vicus jam*, ut inquit *Malmesburiensis*, *erat mercimoniis, & populæ frequentia insignis.* Annoque decimo septimo, ut in antiquis membranis legimus, *Regis Stephani, Norwicus de novo fundata, ut villa populata, & Communitas facta*, Stephanumque Regem *Guilielmo filio in Appemagium*, ut vocant, sive hæreditatem concessisse è tabulis publicis certissimum. A quo statim *Henricus Secundus* extorsit, sibi que retinuit, quamvis *Henricus* ejus filius *Rex Junior* dictus, cum regnum affectaret, *Hugoni Bigod Norfolciæ Comiti*, quem in suas partes pertraxerat, prolixè pollicitus fuisset. *Bigodus* tamen Regis juvenis signa sequutus, qui regni spem oblatam intra juris & æqui terminos continere non poterat, hanc urbem gravissime afflixit: castrumque illud excelso colli juxta templum in ipsa urbe instaurasse creditur quod fossa immanis altitudinis incinctum, inexpugnabile ea ætate fuisse videbatur. *Lodovicus* tamen Francus, cujus in verba seditiosi Angliæ Barones contra *Ioannem* juraverant, facile deditione cepit. *Bigodum* vero hoc castrum restaurasse credimus, quod *Leones* salientes eadem forma in saxo exsculptos vidimus, qua usi sunt olim in sigillis *Bigodi*, è quibus etiam erat, qui cruce in sigillo usus fuit. Hæc in prima quasi *Norwici* ætate.

Subsequente vero sæculo maxima incrementa cepit, civibusque opulentissimis floruit, qui ab *Edwardo Primo* libello supplice in Comitibus Parliamentariis contenderunt, ut urbem suam mœnibus communirent, quod postea ad summam urbis firmitatem & dignitatem præstiterunt. Prætoresque pro *Ballivis*, quos prius habuerant, ut quotannis deligerent, anno *MCCCIII* ab *Henrico Quarto* impetrarunt. Domum *Civicam* perpulchram in ipsa media urbe prope forum quod statis diebus omnibus ad vitam necessariis refertissimum est, extruxerunt. Et certe non nihil *Belgis* debet, qui tyrannidem *Ducis Al-*

Britannia.

bani & sanguinarium Inquisitionis concilium pertæsi huc magno numero confluxerunt, & officium *levidensium* quorundam pannorum primi intulerunt. Sed quid ego his immerer, cum hæc omnia, Pontificum historiam, magistratum feriem, & perditissimi rebellis *Ketti* in hanc rabiem *Alexander Nevillus* vir natalibus, & literis clarissimus pulcherrime descripserit? Hoc tantum adjiciam, quod anno *MDLXXXIII* aquas ex fluvio per tubulos instrumento *Hydragogico* in altissimas urbis partes subduxerunt cives. Dicam tamen hæc scribere possim tum *Polydoro Virgilio* Italo, tum *Angelo Capello Gallo*, ut pro tribunali venerandæ Antiquitatis respondeant, cur antiquos nostros *ORDOVICES* alio quasi sub sole jacentes, hanc *Norwicum* incoluisse affirmarint. Eandem etiam litem *Cajo* nostro intenderem, nisi optimo & eruditissimo seni innatum patriæ amorem oculos hac in re perstrinxisse certe noverim. Nec amplius habeo quod de *Norwico* adjungam, nisi placeat hos *I. Ioannis Ionstoni* *Scoto-Britanni* versus de eadem percurrere.

Vrbs speciosa situ, nitidis pulcherrima tectis:

Grata peregrinis, delitiosa suis.

Bellorum sedes, trepido turbante tumultu

Tristia Neufriaco sub duce damna tulit.

Victis dissidiis postquam caput ardua cælo

Extulit, immensis crevit optima opibus.

Cultus vincit opes, & cultum gratia rerum,

Quam bene, si luxus non comitetur opes.

Omnia sic adeo sola hæc sibi sufficit, ut si

Fors regno desit, hæc caput esse queat.

A *Norwico*, *Garienis* in suum nomen aquis advenis adscitis tortuose volvitur, *Ruffo* pisce admodum fecundus, quo nomine cum *Asperum* Anglice significetur, *Aspredinem* *Ioannes Cajus* Latine nominavit. Toto enim corpore asper est, pinnis spinosus, locis gaudet arenosis, *Percæ* forma & magnitudine, colore per summa fuscus, per ima cum pallore flavus: duplici per maxillas semicirculorum ordine notatus, oculo ex dimidio superiori fuscus, ex inferiori subaureus, pupilla niger: linea per dorsi longitudinem expectata, & veluti filio transverso corpori affixa singularis: notis per caudam atque pinnas nigris maculosus, quæ pinnæ, cum ira subest, inhorrescunt: cum animi conquiescunt, residunt. Caro *Aspredini* quæ *Percæ*, & friabilitate laudata.

Cum *Garienis Claxton*, ubi castrum in orbem constructum, quod *Thomas Gandy Miles* in communi banco *Iustitarius* nuper instauravit, præterierit, & jam mari proximus in Austrum descendit, ut marinis fluctibus mollius illabatur, lingulamque facit, quam hinc ipse, inde mare allambit. In hac lingula littore apertissimo *Yarmouth* vidimus, Saxonice *Gap-muð*, & *Liep-muð*, id est *Garienis ostium*, portum oppidumque elegantissimum, loci ingenio, & solerti opera permunitum. Quamvis enim aquis pene circumvalletur, ab Occasu flumine, quod versatili ponte insternitur, ab aliis partibus Oceano, nisi ad Septentriones, qua continens est: mœnibus tamen satis firmis, quæ cum flumine formam quadrilateram oblongiorem efficiunt, pulcherrime includitur; in quibus præter turres, ad Ortum moles eminent,

B b b unde

A. Ruff.

De rariorum animalium historia.

Yarmouth.
Garienis ostium.